

Letter 515a: [6 October 1533, Constance], Ambrosius Blaurer to Capito and the Strasbourg Preachers

The autograph original of this draft letter is in St Gallen KB, ms. 41/184, and summarized in Schiess 1:431–2, Ep. 367. The manuscript is damaged, hence the elision points.

Gratia Christi vobiscum. Memini nos [...] nobiscum esset Bedrotus, vir insigniter [...] apud nos et rhetoricen magna felicitate prof[fi]tetur, venerandi fratres, audire ab illo vobis isthic opus fore literarum ludi magistro, rogarique ut si quem huic muneri idoneum virum vel ipsi haberemus vel esse sciremus alibi, quamprimum vobis indicandum commendandumque curarem. Nos igitur qui Christianae reipublicae totis animis consultum cupimus, quanquam id temporis nullus omnino succurrebat, recepimus tamen nos summa nos diligentia dispecturos nec quicquam neglecturos unde vestra Christo dignissima instituta iuvari posse crederemus; quis enim Paulo Christi gloriae¹ studet non unice prospectum vellet urbi, unde ceu fonte perpetuis aquis scaturiente tot clarissimi viri ad alias etiam ecclesias maximo multorum commodo dimanant, quae iuvandis literarum et pietatis studiis velut nata et destinata a Domino videri queat, tantoque foenore subinde quod accepit reddit.

Proinde singulari Christi benignitate factum putarim quod proximis diebus cum in familiaribus fratrum colloquiis Petri Dasipodii mentio incidit, unus e symmystis nostris vehementer se huius vicem dolere affirmaret, quem cum doloris huius causas diligenter ex homine rogarem. “Ah,” inquit, “quam discrucior omnino, quoties incomparabilis huius viri in mentem venit quod tanta lucerna tam tenebricoso modo contegitur.” Inde oriundus: “Ubi is ludum moderat?” “Laborat apud suos *odio* plusquam *Vatiniano*. [margin] (idque propter propter² amicitiam quae illi fuit singularis cum priore Turgoiae oppidi praefecto), concionando ac unum atque alterum puerum formando omnem ludit operam, interim tum adeo se non novit, ut cum aliorum bonorum[?] doctorumque vere³ tantum non summus sit, sibi tamen plane nullus videatur atque ideo quod ad vitae aliquam conditionem adinet, ne mediocria quidem meditetur, ibi igitur mox [interlinear: namque certo exhilatur mecum] cum Bedroti petitio aurem vellicasset <petitionem in> gaudio exilire plaudere. Io, iterumque io, persuassimum habens iam tandem me in praedam incidisse, quam dudum captandam [Margin: non quod me aliena me oblectaretur infelicitas sed quod praedam mihi quam dudum captabam, contigisse mihi gratularer.

“O,” dicebam, “felices Argentoratenses, quibus egregium hunc hominem a Deo destinatum intelligo. Scribam, scribam quam primum tabellionem ut quibuscumque possint rationibus hunc advocant accersandum curarent, reddemus nostra quoque calcaria et extimulantia adeo neglectum delitescentem hominem ut illic agere malit ubi vere munere et Christo se frugi servum probare posset, malitque ibi esse ubi quamplurimos Christo lucrifacere queat.” [...]s suam cum modestissimo, candidissimo homine [...] magistrum se qua est animo modestia constanter [...]rat multaque alia excusat, ego tum promoveri hominem posse existimarim. Si senatus pariter et nostra urgeat vocatio, quam non poterit non et legitimam iudicare.

Agite igitur, observandi mihi fratres, certamen contendite hunc christianum, ut si non alius iam scholae praefectus sit, is nobis contingat adulescentiae vestrae adeoque nostrae quoque formare. Nam vere hoc praeceptore [et] magistro ludum vestrum ter felicem pronuntiare ausim, vere literatos pronuntiare ausim vestros pueros.

¹ This second “paulo” is superfluous.

² This second “propter” is superfluous.

³ Or ‘certe’.

Putarim vobis non obscurum esse viri nomen quod apud nos clarissimum est: Agit nunc Gynopedii, Turgoie oppido, cui familiam et nativitatē suae primordia debet, pulchre callet linguas, supra modum syncerus est et pius, ut vitae innocentiam inimici quoque in illo maximopere commendant, ad docendum promptissimus appositissimus ac mire felix, ad summam: talis est animo, ut nemo nisi iniquissimus quicquam in illo desyderare quaedam, calumniari possit. Scitis quam sit nostrum saeculum minime ferax eiusmodi virorum qui cum solida facilique expositaque eruditione veram pietatem coniugant et paucos profecto videmus qui velint, pauciores qui possint dextre hanc pulcherrimam quidem sed difficultissimam provinciam suscipere. Ego non ignoro quam multi isthic agant apti et doctissimi viri; teneo iudicia vestra exactissima et audeo tamen importunus etiam hunc vobis ad molestiam usque obtrudere, sciens non me vobis sed vos mihi gratias maximas habituros, acturos et relaturos quippe, cuius opera hunc egregium veroque incomparabilem thesaurum nacti sitis, quam igitur cordi vobis est, vestram simul et communis respublica Christiana. Tantum vix vos totos exorite, ut apud clarissimum Sturmium caeterosque primarios vestrae urbis viros Dasypodii vocationem statueritis. Nam hoc tempore et Campidanum et Ysneum ludimagistros desyderant, et sunt iam qui huius operam multo sibi conducere destinarint, quod antevertere nos volui.